



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. De Asturibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

culis filio ut *Tarapha*, vel à Græcis ut *Iustinus*, vel à Ἰδλῶ. ut *Isidorus* quia reliquis candidiores. Diuidebantur in *Lucenses*, qui à *Luco Augusti*, & *Braccarios*, qui à *Braccarâ* urbibus nomen accipiebant.

REGIO diues, ut ex *Plinio* vidimus. In ea mons ille sacer, & aureus de quo *Iustinus*; & glebæ hîc aureæ sæpe aratro scindebantur. Hîc quoque *Lethe Fl.* aurifer. Erat quoque in primis *populosa*, siquidem à *Tago* ad *Prom.* *Celticum* 30. populi celebres habitauerunt *Plinio* teste.

MORES. Dediti supra modum auguriis, & superstitioni, *Silius*. Res domesticas fœminæ curabant, viri rapinis, & bellis vacabant. Deuicti sunt à *D. Iunio Bruto* ægrè, ideóque hic *Callaicus* dictus.

§. 6. De Asturibus.

NOMEN habent vel à *Astyre* *Memnonis* Auriga, ut vult *Silius*, vel à *Fl. Astura*. Diuidebantur per *Vindium* Montem in *Transmontanos*, & *Augustanos*, quoniam hi iubente *Augusto* in planiciem deducti sunt, ut emollirentur.

REGIO sterilis & aspera, quod intellige de *Transmontana*. Hîc Equi *Asturcones* dicti, & *Astures* bello inutiles, sed qui *inconcusso glomerant vestigia dorso*, ait *Silius*, aut *ad numerum rapidos qui colligat ungues*, ut *Martialis*. Hinc quoque aurum plurimum eruebatur, unde *Astur auarus*, &c. & *redit infelix effosso concolor auro*. Dabat item *Minium*, & *Chrysocolam*.

MORES. Generosissimi erant, & Romanos concidissent, nisi à *Brigacinis* proditi essent. Erant quoque agrestes, & feri.

§. 7. De Vaccais.

ISIDORVS nomen eis tribuit ab vrbe *Vacca* ad *Pyrenæum*, sed ubi illa gentium? nisi fortè *Iacca*; at enim quid hæc ad *Vaccæos*, seu *Baccæos* *Stephani*?

MORES. Agros singulis annis mutant, & colunt, & cuique frugum assignantur partes. Morte mulctatur qui agricolam læserit. Bellicosissimi erant quod experti sunt *Ro. duces* aliquot: mirati tandem eorum virtutem, se illis dediderunt.